



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLI. Gregorii Papae I. Ad Lvminosvm Abbatem. Scribit omnia  
grauamina a monasterio illius auferenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

Dei, vt ardentius ad æterna suspires, vt mens vestra ad cælestia maioribus desiderijs accendatur. Tanto enim tunc maior ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. Sed ad hæc agenda infundat vobis omnipotens Deus consolatorem Spiritum. Ipse mentem vestram sua præsentia impleat, & implendo leuet. De me autem cognoscite, quia multas hic & innumeras amaritudines patior. Sed ago omnipotenti Deo gratias, quia minus affligor valde, quam mereor. Carissimum autem filium meum susceptum vestrum domnum Narsætum gloriæ vestræ commendo. Quem quidem scio commendatum in omnibus habetis; sed facere vos rogo quod facitis, vt dum peto quod fieri video, mercedi vestræ me petendo subiungam. Præterea excellentiæ vestræ benedictionem ea qua transmissa est caritate suscepi. Vnam vero anatem cum duobus paruulis Atticis pro vestri amoris gratia transmittere præsumpsi, vt quotiens ad respiciendum eam vester oculus ducitur, memoria etiam mei inter occupationes tumultusque causarum in animum vestrum reuocetur.

## EPISTOLA XLI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD LUMINOSVM ABBATEM,

Scribit omnia grauamina a monasterio illius auferenda.

*Gregorius Luminoso abbati monasterii sancti Thomæ de Arimino.*

**P**ETITIONEM tuam congregationisque tuæ libenter suscepimus, secundum statuta patrum iurisque formam tuis precibus accommodantes effectum. Castorio fratri & coepiscopo nostro nostra præceptione transmissa est epistola, successoribusque eius, & a te monasterioque tuo cunctam læsionis funditus abstulimus potestatem, vt nec vltra in vestro versetur grauamine, nec monasterii res describat, nec publica illic debeat esse processio: illa videlicet ei iurisdictione relicta, vt in defuncti abbatis locum alium, quem dignum communis consensus congregationis elegerit, debeat ordinare. His autem ita perfectis, in Dei opere estote solliciti, & assidue operam orationi da-

te, ne non videatur magis vobis quæsitæ mentis in oratione securitas, sed male, quod absit, degentibus episcopalis euitata districtio.

## EPISTOLA XLII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD LEONTIVM EPISCOPVM ARIMINENSEM.

De visitatione Ariminensi melius procuranda.

*Gregorius Leontio episcopo visitatori Ariminensis ecclesiæ.*

Ino p. 7. c.  
12. & 13.  
Grat. 18. q.  
2. cap. 6.

CLERO Ariminensis ecclesiæ, cuius visitator es, conquerente, comperimus quod, remotis omnibus clericis, fraternitas tua hominibus suis patrimonii eius gubernationem ceterasque vtilitates commiserit peragendas. Quod si ita est, querelam eiusdem cleri ineptam esse non credimus. Ea de re his te hortamur affatibus, vt omnia quæ ad superscriptam ecclesiam pertinent, per proprios eius homines, quos ipse præuideris, siue per diaconum latorem præsentium gubernari agique disponas, vt nulla eis aduersum te iusta murmurandi relinquatur occasio. Si vero quædam de eis infidelitatis est fortasse suspicio, cum eis quoque homines tuos in actione constitue, vt alterna erga se solitudine debeant esse custodes, rationes tibi modis omnibus posituri. Quidquid vero de redditibus ecclesiæ ipsius accesserit, quatuor iuxta consuetudinem oportet fieri portiones, vnam scilicet, quæ clero præbenda sit, aliam quæ pauperibus. De reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus. Vnam fartis tectis profuturam, aliam pro sustentatione sua Castorio proprio episcopo dirigendam, reliquam tibimet retinendam. Si quis igitur in superscriptæ ecclesiæ clero dignus fuerit presbyter, vel diaconus, siue in gradu alio, ordinari, liberam habebis ex nostra auctoritate eum promouendi licentiam. In lucrandis ergo animabus inuigila, circa clerice ritudinem esto sollicitus. Vtilitates ecclesiæ, cuius visitationem geris, iniuste perire vel deteriorari nulla surreptione permittas; ne, quod absit, & apud Deum perpetui labem periculi, & apud nos reatum culpæ possis incurrere. Comperimus præterea aliquid te annonæ de publico consequi, & hac ex re verecundia comprimi, atque in causis ecclesiæ, vel

defen-